deri debet, quam reservavit libertatem, eripi sibi nolle. Quae ita se habentibus, denuo a vobis nunc amanter petimus, ne illi sive curis praestu, sive facto atque arresto ulterius impedimento sitis, quin potius omnia eius obiecta hactenus obstacula quam primum removenda curabitis, discedentem juvetis, atque hac ratione, quod vobis gratificandi studium de vobis omnino polliciti sumus, re ipsa comprobetis. Facile enim pro vestra prudentia perspicere potestis, quid emolumenti scholae vestrae sperandum in posterum ab eo sit, cujus animus alio fertur, et quod facit non sponte atque alacriter, sed invitus et coactus praestat. Cum illum, quos toties petimus et ipse cupit, bona vestra cum gratia dimiseritis, facilius fuerit ipso etiam adnitente ejus in locum alium invenire Rectorem idoneum, praetereaque absentis etiam opere et consilio minus carebitis. Quod si feceritis, facturos autem vos certo speramus, non vulgarem ad vostram erga vos et Rempublicam vestram benevolentiam accessionum factam, operam dabimus, ut experiamur. Valete. Datae VII. octob: Anno 1598.

Ad Consules, Senatores et
magistratus Reip. Memmingensis.

321)

Illustrissimo Principi ac Domino
D. Friderico Comiti Palatino
Rheni sacri Romani Imperii
Archidapifero et Electori Duci Ba-
variae &c: gratiam et pacem a. D. N. J. C.

Quemadmodum perjucundum nobis fuit, Illustrissime Princeps, egregium illam

voluntatem, et singulare studium perspice-
re, quo Tuam Celsitudinem imprimis ad excolen-
dam et instaurandam Heidelbergensem Acade-
miam ferri cognovimus, ita etiam pergrave
fuit intelligere eam nullo praesentiore re-
medio sublevari ac in integrum restitui
posse, quam Rectoris Academiae nostrae, nem-
pe D. Julii Pacii, tantoperè à studiosa juventu-
te Heidelbergensi exoptato reditu. Quanta
enim omnibus celeberrimis hujus regni, et
nominatim hujus Narbonensis et occitaniae
provinciae Academiis cladem superiores bel-
lorum civilium furores toties debacchati at-
tulerint, vel ex illo diuturnae vastatis squalore
satis perspeximus, quo Academiam hanc Ne-
mausensem ita deformatam per complu-
res annos vidimus, ut nulla Academiae, aut perexi-
gua facies esset, et de illa prorsus actum vi-
deretur, nisi singulari Dei beneficio istam exi-
mium Rectorem nacta fuisset, ad quem accer-
sendum ne ingentibus quidem sumptibus peperci-
mus, et accersitum ea liberalitate atque benevo-
lentia prosequuti sumus, ut libenti animo
fidem suam nobis obstrinxerit, et certissimis
pactionibus pollicitus fuerit se perpetui Rectoris
munus in hac nostra Academia suscepturum,
ineoque Rectoratu se fideliter officium factu-
rum, imo regium diploma nostra opera nostrisque
sumptibus obtinere voluerit, quo regnicola declaratus
in hoc regno, et nominatim in hac civitate
degere, deque universis suis bonis liberè disponere

possit, hujus verò Rectoribus bene auspica-
ta primordia, tam læti fuerunt progressus con-
tinuò subsequuti, ut fama et laboribus tanti
magistri ingentisq; studiosorum copia jam
hujus Academiæ nomen variis in locis sit
illustratum, neq; solùm ex Narbonensi hac
provincia, aliisq; vicinioribus, sed etiam ex A-
quitania, et Gallia celtica, imò ex Germania quàm
plurimi adolescentes ad eam velut ad celeber-
rimum bonarum literarum emporium conflu-
ere soleant, itaq; his faustissimis auspiciis hæc
Academia non sibi gratulandi modò, sed et
felicissimum inde eventum præsagiendi, pri-
stinumq; splendorem recuperandi occasionem ha-
bitam sibi esse arbitratur. Absit verò ut ex-
stimemus Dominum Pacium quem et candidum
et bonæ fidei virum esse certò scimus, nunc
fidem suam sanctè præstitam solvere et pacta
conventa dirimere velle, præsertim cùm
id fieri nullo modo posse satis intelligat absq;
ingenti universæ patriæ detrimento, imò Eccle-
siarum omnium, quas hactenus Deus Opt. Max.
in hac provincia singulari sua providentia et
clementia protegere et ex leonum faucibus
eripere voluit. Agitur enim duntaxat oneris
ex quo huic civitati concessum fuit rescripto
regio Academiam Theologiæ constituere et
professoribus Theologicis honesta stipendia
attribuere, eaq; ex ærario publico deprome-
re, quod quidem beneficium huic civitati potis-

quàm aliis quàm plurimis conceſſum fuit, ita
nemo eſt, qui non ſperet quàm plurimos
adoleſcentes famam imprimis eruditiſſimi
Pacii in hanc Academiam profecturos, ut Phi-
loſophiæ operam dare, ejusq; ſtudia cum ſtudi-
is Theologicis conjungere poſſint, utinam
verò ſchola noſtra perinde atq; Heidelber-
genſis illius viri operâ et præſentiâ carere
poſſet, Galliaq; noſtra tot viris eximiis et in
omni genere diſciplinarum præſtantiſſi-
mis abundaret, quibus Germaniam florere
non dubitamus, quam enim doctiſſimorum
~~pi~~ præceptorum penuriam communis bello-
rum civilium calamitas attulerit, vel Pariſi-
enſis Academia quotidiè experitur. Tu quidem
C. quantopere devicti ſimus, illuſtriſſime Prin-
ceps, et quæ beneficia Eccleſiæ omnes Gallicanæ
ab Heroë illo feliciſſimæ memoriæ avo tuo ac-
ceperint minimè ignoras, ſed quanti momenti
ſint, quæ nos ad D. Pacii præſentiam expeta-
dam ejusq; retentum in hac ſchola plurimi
faciendum movere poſſunt, vel ex his quæ jam
commemorata fuerunt tuam illam Celſitudi-
nem ſatis intelligere atq; perſpicere, non dubi-
tamus. Agitur enim de Academia noſtra non ſo-
lùm exornandâ, ſed etiam conſervandâ, in cujus in-
ſtauratione præcipuum hujus civitatis orna-
mentum atq; emolumentum poſitum eſſe arbi-
tramur. Agitur de agris totius patriæ omnium
præſtantiſſimis excolendis, in quibus præcipua

Reipublicæ seminarium positum esse, nemo est
qui non intelligat. Agitur deniq; de Ecclesiarū
omnium hujus provinciæ propagatione,
deq; nominis Dei opt. Max. gloriâ promo-
venda atq; amplificanda, quam propagatio-
nem T. C. imprimis curæ esse minimè dubita-
mq. Licet enim laudes illæ tuæ nobilitatis, do-
ctrinæ, potentiæ et eloquentiæ magnæ sint
et admirabiles, hominum tamen celebra-
tione et sermone continentur tibiq; cum
aliis multis communes sunt: At verò pi-
etatis quod omnium virtutum κορύφαιον
est laudem tibi communem cum paucissi-
mis esse principib9, hujusq; virtutis gradi-
bus te velut in coelum ascendere nemo est no-
strûm qui non fateatur. Quamobrem quod re-
id superest, illustrissime Princeps, quàm ut
Te eximia et pia vota parentum qui liberos
charissimos, quib9 nihil pretiosius habent,
in hanc Academiam miserunt, fideiq; Rectoris
nostri commiserunt exaudias, et ingenuam
atq; generosam juventutis nostræ indolem
excites, hanc deniq; Academiam veluti mo-
rentem tuumq; auxilium implorantem respi-
cias, et quæ velut supplex te nunc etiam
atq; etiam precatur, ut suum ei Rectorem
conserves privilegiaq; eximia, quæ à Regib9 Chri-
stianissimis ei concessa fuerunt, nunquam iniquè
eripias, hoc tantum beneficium non solum
nos liberiq; nostri, sed etiam natio tota
agnoscent

agnoscent, prædicabunt et extollent. Deum verò opt. Max. omnium bonorum authorem et largitorem toto pectore precamur, ut C. T. donis suis magis ac magis compleat, suoque præsidio potentissimè tueatur. Nemausi 28. die Junij 1598. de Ao 1598.

T. C. obsequentissimi, Magistratus, consules et Pastores civitatis Nemausensis Rovel primus consul.
Salvegez Judex criminalis
Mognerius Pastor Ecclesiæ

Fridericus &c:
Salutem! 322)

Non minus molestum fuit, Nemausensi Reip: tantoperè roganti et de te retinendo laboranti nos gratificari non potuisse, quàm jucundum atque gratum accidit, animi et voluntatis tuæ promptitudo et obsequium. Nemausensibus nos causas te revocandi ostendimus tales, quibus illos acquieturos confidimus. Cæterùm quas ipsi è contra in medium attulerunt rationes haud mediocriter nos commovisse fatemur, et si quam illis morem gerendi in verè tuam potuissemus, nequaquam reluctati fuissemus. Quoniam autem academiæ nostræ salus postulavit reditum tuum et præsentiam necessitati parendum fuit. Quod igitur felix atque faustum sit, te quamprimum reducem nos visuros, et Nemausenses non amplius obstituros speramus. Utere igitur opportunitate nundinarum